DE MEDICINA NEGATIVA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Antonio Pasi

DE

MEDICINA NEGATIVA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ADSENTIENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

JOSEPHO CORNELIANI

PATHOL. ET PHARMACOL. P. O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

CAPESSENDA

IN CELEBERRIMO I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Augusti MDCCCXXXI

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

PASI ANTONIUS

TICINENSIS.

TICINI REGII
Ex Typ. P. Bizzoni
I. R. Universitatis Typograph.

« *Si alicubi certe in Medicina*
» *nulla scire oportet et pauca agere.* »

BAGLIVIUS

(de Praxi Medica)

DE

MEDICINA NEGATIVA.

PROOEMIUM.

Sublimis humani corporis fabrica in propria viscerum et systhematum organicorum perfectione sufficientem suae existentiae rationem amplectens, ubi cum naturalibus stimulis, et ad vitam necessariis idonea quantitate, et modo directis in conflictum venit, illam actionem functionumque vitalium armoniam obtinet, qua status physiologicus exsurgit. At si potentiarum quavis, quibus eadem obvallatur quibuscumque in assidua versatur relatione adeo afficitur, ut aliquod ex organis a naturae legibus quodammodo recedat,

tunc armonia illa subvertitur, et humana fabrica in statum pathologicum projicitur. Sub hac rerum conditione a priori penitus dissimili organa novis legibus astringuntur, novae prodeunt functiones, nova extruuntur producta illis vitae sanae equidem diversa, quae ad certum degenerationis gradum perducta physiologicas leges funditus evertendo illis, vitae universae aeconomiam animalem subnectunt. In hoc tamen rerum discrimine, vis illa primitus in fibra organica insita, quae in statu sano motus organico-vitales moderatur, omnesque functiones dirigit, simulque organicam matheriem ad certum usque gradum a violentis incitamentorum injuriis tutatur, ea vis inquam, innumeris factis comprobata, abnormes quoque motus a morbificis potentiis inductos destruere, pristinum aequilibrium atque proportionem in fibris primitivis reducere et organa ad normales functiones redonare conatur. Hanc existere, licet ignotam adhuc naturae vim, nec dubium; optimos ab ejus efficientia effectus in morbis adeo exordiri, ut ipsa medicorum insipientiae erroribusque mederetur, solaque sanationis gloriam adimeret, centies compertum habetur. Humanum autem ingenium ob doctrinarum lumina in nuperrimis theoriis diffusa, quibus saeculum hoc prae caeteris merito fulget, se nimis extollens quicquid vi huic debetur spernit; ac dum nimiam a Ve-

teribus organicae vi tributam auctoritatem jure retundit, in contrarium ruit errorem, dum ejusdem afficaciam penitus inficiatur. Quamobrem, ubi de morbi praesentia cognitio non dicam, sed auspicio adsit, sive nota fuerit essentia, sive animo tantum efficta (plurium enim adhuc latet natura morborum) medicus praedicatia pharmacis sub quacumque conditione laborantem indiscriminatim aggreditur, nullam pene dixerim intermissionem medicaminibus relinquit; neque vitae organicae quidquam, ut ita dicam, libertatis ad aequilibrium functionibus restituendum permittit; sed ab illorum usu nunquam desistit donec, vel ad sanationem vel ad mortem aegrum parduxerit. Quam impatientiam in pharmacis exhibendis juvenibus semper, et vulgaribus solummodo medicis olim propriam experientiam diuturnaque observationes moderari observatum est; nam medicus jam aetate scientiaque provectus, post diutinum tempus, post remedia millies incassum tentata fateri tandem cogitur, quibusdam in casibus Medicinam negativam, illam nempe quae pharmacorum abstinentiae innixa de regimine diaetetico ad rem optime accommodato instituendo dirigendoque occupatur, perbelle conducere. Quod cum ita sit in hac brevi dissertatiuncula ostendam: *Bonum interdum esse medicamentum nullum adhibere medicamentum.*

Hunc in finem, ratione, et factis Medicinae Negativae necessitatem vel saltem utilitatem comprobare aggredior tum in morborum initio, tum in morbis qui acute decurrunt, quam denique in iis qui chronico decursu adstringuntur.

Quum causa quaecumque sive mechanica sit, sive chemica, sive ex illis quorum agendi ratio cum lateat, et in vires primitus agere credatur, caussae dynamicae nomen sibi adscivit, in organismum jam prave dispositum egerit, nec ejusdem actio violenta subitum, gravemque attulerit morbum, sed lente mutationem aliquam abnormem in aliquod organon, clandestine et subdole induxerit, tunc organica sensibilitas de intima mutatione conscientiam commonet, et aeger dysphoria tenetur, quin organum in primis adfectum designare valeat. Sublata itaque inter viscera armonia facultatum; virium, actionum, atque functionum, concentus turbatur, et qualitatum externarum laesio adparet: silent adpetentiae, ad motum corpus ingravescit, somnus non reficit, facies, et reliqui corporis cutis vel pallet vel insolite rubescit, oculus languet, ita ut ex his instantem jam morbum et profani dignoscant, quin vero nec illius substratum nec indoles decerni possint. Tunc ad curam Medicus accersitus, nisi causam detegere valeat, quae per lentam agendi rationem saepe saepius delitescit, nec rectam diagnosim, nec minus aptam insti-

tuere medelam poterit. Interaa hisce in tenebris quaenam fax menti lumen infert: anne medicamina erunt casu tentanda? Contrarium hac in re consilium praebet Fernelius » Si obscurior morbi species nondum tibi cognita perspectaque penitus est, huic ne properes remedia adhibere, sed rem totam naturae committito; natura enim proba ratione viveudi adjuta, et innixa aut morbum profligabit, aut patefaciet » (1). Nihilo tamen secius nonnulli morem potius quam rationem sequuti sunt. Si quem dyspboria detentum adeunt, eundem vel venae sectione, vel catharticis, vel deprimentibus generatim, aut e contra tonicis ac stimulantibus aggrediuntur. Haec autem remedia, quibus in morborum prodromis et ignarus vulgus, et vulgares medici, quin aliqua morbi nosogenia eos dirigat, profilactice abutuntur, brevi inutilia aut noxia animadvertuntur. Febres intermittentes perniciosas ad diathesim asthenicam spectantes algidas, syncopales per dies aliquot dysphoriae sensus antecadit, in quibus venae sectio inconsulte instituta damnosissima foret, et mortem sub primo paroxismo probabiliter afferret. Catarticorum selectus ut ad morbum, ejusque substratum accomodetur plus longe majorem quam fieri solet medici attentionem meretur. At quomodo hoc accidet, quum sedes atque indoles

(1) De method. medend. lib. 1. cap. 3.

lateat? Nonne purgantia fortiora, nocerent ubi de subdola membranae mucosae tubi gastro-enterici phlogosi non frequenter deneganda ageretur, atque pathologicam conditionem exasperarent? — Quid de tonicis dicam et stimulantibus? Quum paucissimi sint qui causas morbificas quamplurimas irritando agere inficiantur, permulti etiam in hanc adducuntur sententiam hisce in remediis debilitatis gratia sumendis, cum morbus nondum sit evolutus, nusquam vel saltem cautissime esse mercandum; tunc enim ignem igni addendo magnum suscitaretur incendium. Re quidem vera id in puerperis non raro accidit, quibus quum Obstetricus ad vires delassatas restaurandas cum remediis cardiacis, stimulantibus opitularentur cum violenta metro-peritonitide mortem non infrequenter adducunt. Casus vero excipiemus, in quibus etiamsi morbus non plane evolutus, per causae notionem quinam sit erupturus praevidere fas est, atque tunc vel ea, si potest, removenda est, aut mali effectus praecavendi. Itidem dicas quando aetas aegroti, sexus, corporis habitus, morbi praegressi mala endemica, constitutionalis vel contagiosa epidemia criteria exhibent, quibus in casibus et in morbi prodromis medicamina porrigere, et graves interdum morbos interpellando non parum emolumenti oculatissimus medicus demere poterit. Dum is vero haec criteria de-

ficiant malius tutiusque sibi consulet, si medicinae negativae operam impertiat, ei nempe, quae pharmaceutico-chirurgica praesidia respuens tota animum ad illa sollerter intendit, quae in physicum aegri statum atque moralem vim aliquam exerere queunt, in idonea potuum ciborumque qualitate secernenda incumbit, aeris salubritatem, cubiculi temperaturam, in lecto positus rationem dirigit atque moderatur, animi pathemata potissimum, eaque omnia quae vel aegro adversari, vel eum exanimare, aut discruciare possunt diligenter propellit; illum aut de nullius morbi evolutari, aut de proxima sanationis spe blanditur sollicitisque curis fiduciam atque tranquillitatem inducens consolatur. Interea omnia phaenomena quae pedetentim eruunt attenta oculorum et mentis acie observat, atque perscrutatur; nam ex his ubi primum quidquam de morbi natura transluceat aptis medicaminibus eumdem aggreditur.

Rata hujus rei auctoritas a summorum Practicorum inter Veteres omnes nec non inter nonnullos Neotericorum sententia in operibus numero infinita promulgata sumitur. Inter illos commonebat A. Corn. Celsus » Cum ab his coeperim quae notas quasdam futurae adversae valetudinis exhibent, curationum quoque principium ab animadversione ejusdem temporis faciam. Igitur, si quid ex his quae proposita sunt (*phoenomena prodroma*) incidit, omnium optima sunt

quies et abstinentia », indeque iis recensitis quae ad regularem diaetam conducunt subjungit ». Per h oc saepe instans gravis morbus discutitur. Plurimique falluntur dum se primo die protinus sublaturos languorem aut exercitatione, aut balneo, aut coacta dejectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant, non quod non interdum id incidat, aut non decipiat, sed quod saepius fallat solaque abstinentia sine ullo periculo medeatur » (1). Inter nuperrimos insignis *Broussais* negativae medicinae usum, dum lateat adhuc morborum indoles, atque utilitatem nitide testificatur; ut in historia febris quartanae hydrope generali comitatae qua quidam *Allain* afficiebatur, luculenter videre est: de quo enim cum dixisset » il paraissait souffrir de par-tout; mais il ne désignait aucun point plus douloureux que le reste .... in historiae decursu ad diagnosim clarius illustrandam proponit ... Nous avons un moyen de présumer le défaut d'affection locale dans tout cas analogue à celui-là; moyen qui, sans-doute, est applicabile à beaucoup d'autres: c'est la sévérité du regime; et les médicamens negatifs, présentés cependant à l'estomac de manière qu'ils ny causent pas ce malaise particulier qui dépend de la faiblesse et du relache-

(1) Medicin. Lib. III. Cap. II. p. 114. edit. Comun.

ment » (1). Item in scientiarum Medicalium Dictionario, ubi Summorum ex Gallia Doctorum coacervata sapientia loquitur, expectationem illam scilicet medendi rationem, quae negativis tantum medicaminibus efficitur expositam invenies. « Dans le début des maladies, lorsq'on ne connait pas encore leur nature ni leur siege, lorsque les symptômes ne donnent lieu à aucune indication caractérisée, et que le danger n'est point imminent ». Quapropter hisce auctoritatibus palam opitulantibus in morbi initio anxilus utetur medicus ex communioribus vitae incitamentis desumptia ab eximiae artis medicae cognitionibus depromptis; quae porro neque pauca sunt nec interdum pharmacenticis minus efficacia; adeo enim late istius scientiae dominium extenditur, ut nulla fere in hominibus tum sanis, cum morbo detentis actio, nulla necessitas, non animi adfectus, non consilia, que ejusdem legibus, curis, beneficiisque quadantenus non subjiciantur. Neque illud obstabit quod, heu nimium, in praxi frequenter occurrit » che una indisposizione la quale nei suoi principii paia d' indole innocente e passeggiera, ovvero che paia all' opposto di razza feroce e pericolosa, talvolta in progresso cangia rapidamente di scena, e quasi al medicante rinfacoia o la sua indolenza nel non aver

(1) Histoire des Plegmas. Chron. Obser. XV. p. 165. Bruxelles.

contrastato a principii di lei, o la sua inopportuna sollecitudine nell' averla senza verun bisogno colla sanguigna, o cogli emetici, o coi purganti, o con altro amministrata » (1). Si enim perpendatur, Medicinam ceu *artem conjecturalem* interpretationibus et conjecturis saepe ob innumeras casuum practicorum conditiones fallacibus inniti, claraque patefieri debere signa, ni multa saltem nonnulla, ne in errorem trahatur medicus, hunc certa scrupulum non capiet, quum, symptomatibus patognomonicis deficientibus morbum ab initio solo vitae regimine ad rem accommodato vel penitus praepedire, vel ejus evolutionem mitiorem reddere conatus fuerit; dum contrarium obtineret ubi adfectionem aliquam, de qua solummodo fuerit auspicatus, pharmacis inconsulto praescriptis, provocare et exacerbare maluerit.

Evolvitur interea morbus, cujus symptomata in propatulum prodeuntia attento Medico acutae adfectionis sedem naturam, gradum patefaciunt. Tamque tempus est in quo enixe, studere debet ut medicus, auxiliis tum ex pharmacopoliis depromtiis atque tot illustrium Virorum observationibus expertis, atque commendatis, cum Chirurgica manu ad morbum profligandum conatur. Hisce in casibus cunctatio quaevis semper valde periculosa. Attamen et in morbis acutis quaedam

(1) G. Pasta - Tolleranz. Filosof. delle malattie - Introd.

circumstantiae sunt observandae in quibus ad medicinam negativam est plus minusve confugiendum. Hic esset referendus ille status in quo gravioribus symptomatibus jam desinentibus per secretionem aliquam apte inchoatam (criticam perhibent) morbus se esse resolutum ostendit. Neque hic intelligas velim omnem, nec maximam crisibus, seu naturae conatubus fidem praestari debere me quemquam persuasum facere, mens enim cum illorum congruit sensu, qui morbosam conditionem per contraria eidem remedia funditus avveruncandam esse decertant: sed ubi sponte processus organicus aliquem reseret colatorium per quod morbum resolvisse pluries experientia confirmavit (nec ulli quidem theoriae repugnat); novis medicaminibus uti vel inutile opus si ad secretionem illam augendam, vel si alio scopo interdum damnosum praestant quippe quae novas in animali aeconomia perturbationes inducere valent. Ita quidem de exanthematibus a contagioso fomite oriundis dicatur. In his contagium semel in organismum inductum vividiores in systhemate irritabili ac nervoso reactiones suscitat, membranarum systhemata (phoeniciscum potissimum) invadit unde febris catarrhoso-exanthematica oboritur. Haec mehercule ad inflammatoriam diathesim pertinet, et quid curandi in medici potestate est id a phlogistica indole dependet: in hujuscemodi enim morbis, Illustri quidem *Tommasini*

testante, alia adest conditio a causae qualitate repetenda, quae sicuti medicum latet, ita et curari non potest Quapropter in horum cura dum antiphlogisticam methodum suo tempore non negliget medicus, aliunde tamen non obliviscetur, ibidem de legitima phlogosi non agi: dum immo docuit experientia, contagiosas febres quae proprio adstringuntur ciclo, dum omnes amotae fuerint complicationes, nullo alio medicamine quam potubus acidulis, limoneis aut ribesiorum etc., et idonea diaeta ciclum suum explere, et absque ullo postumo noxio persaepe devinci. Qua in re illius opus apto vitae regimine intendetur, quomnius nobiliorum organorum nullum adficiatur; si enim nullactenus aliquod quacumque de causa dermaticam adfectionem vel per textuum continuitatem vel per sympathiam ad se aut revocare indicet, aut jam revocavit, quod raro absque vitae discrimine contingit, non negativam sed actuosissimam medicinam in usum arripiet. Hoc si factis comprobare mens esset, centena haberemus vulgo etiam temporibus nostris notissima quum anno 1817. Typho Europeo ferociter in regionibus nostris grassante mendici in faemilibus derelicti, absente medicina convalescebant, dum hi qui commodis pollebant, methodo incandiaria Brunonis victimae conburi, et excandescere videbantur. Idem inter medicinae patres observatores summus Burserius, et P. Frank aperte confirmant.

Nobis nunc in mentem occurrit, quod primus de peticulis scripsit » Indicationes prorsus sunt eaedem in morbo peticulari quas in aliorum exanthematum curatione commendavimus. Naturae motus quo se liberare a noxio baeterogeneoque principio nititur, si moderatus et sufficiens videatur *nec excitandus, nec coercendus est* . . . Experientia enim vero saepissime demonstravit, eos qui naturae rem *omnino* commiserunt, felicius facilisque da morbo trihumphasse » (1). Sic J. P. Frank. Il Pemfigo Varioloide se non sia complicato con un altro male non richiede che le sole forze della natura, e si supera con un vitto moderato, e bevande diapnoiche ecc (2). Nec quispiam me audaciae incusabit, si rem ultro impellens in morbis ipsis hypersthenicis cum locali adfectione a pharmaceuticis (item non dicam a sanguinem evacuantibus) sive purgantibus sive bechicis aut apophlegmatizontibus aut etiam antiphlogisticis proprie dictis aliquando caveri posse declarem. Nam non pauci ruribus potissimum, et in urbibus ipsis graves pleuritides atque pneumonitides per venae sectiones solo aqueo potu affatim sorbillato penitus sanatas viderint. Non quod remedia illa fere semper morbosae conditioni opposita, et cum sanguinis evacuationibus

(1) De peticul. §. 53.

(2) De Cur. Hom. morb. — Trad. Gamandol. T. III, pag. 217.

congruentia pathologicum processum sufflaminare et inde evertere non valeant. Sed quia per individuales idiosincrasias aegre ab animali aeconomia aliquoties persentita plus detrimenti quam levaminis afferunt. Hoc attamen de rarissimis casibus dictum esto, et quasi monitum sit ut pharmacologiae scriptorum pollicitis, eorumque in primis qui alicui Medicinae systhemati nimium adhaerent, non admodum fidentes a medicamina praescribendi anxietate quandoque temperemus, dum stimulorum subtractio, et diaetae prudenti manu directa ad eundem scopum minori aegrorum incomodo, ocyusvé conducet.

Interea quum idonea therapeutica methodo morbus ad sanationem accesserit, et jam convalescentiae studium attigerit, Medicus de re sua probe guarus in negativa medicina instare maleat, quam, ut quamplurium mos est debilitatem subsequam, ut citior habeatur, sanatio, roborantibus stimulisque corrigere. Organon quodvis cum aliqua adfectus fuerit aegritudine, nonnisi pedetentim ac per gradus ab illa recedit novam in morbum eundem dispositionem jam assequtus. Qui itaque remediis illis eo in casu debilitatem corrigere tentant in recidivam convalescentem conijciendi, et emolumentum adeptum novo majorique periculo destruendi in discrimine versantur. Quod si vires tantillum restaurare, et organicam materiem detritam reparare habeat, quommodo

hoc melius quam ex rebus a diaetetico regimine sumptis assequemur? Re quidem vera si convalescentia est inversa ratione eadem conditio ac opportunitas in morbum, nempe monente. Malfatti *Opportunità alla salute*, quid melius quam organon ad pristinos habituales stimulos quibus in salutis statu utebamur pedetentim redigere, potiusquam animalem aeconomiam ad bonam valetudinem jam nitentem remediis in sanitatis statu recusatis cum minori nimirum emolumento torquere? Nec porro est inficiandum quosdam morbos natura sua exposcere ut et minima morbosa conditio confestim tollatur, ne serius in recidivam incidant; quod de febribus intermittentibus speciatim accidit; sed istud absque pharmacis, etiam solo diaetetico usu obtineri posse cum celebri *Rubinio* autumamus. En insignis hujus pathologi hac in re verba » Io faccio entrare nel piano curativo delle Intermittenti un regime tonico, ed eccitante in tutta la sua estensione. Il cibo eupepto ben condito, ed aromatizzato che più si gradisce dall'infermo, il vino generoso, il moto, la cavalcatura, le frizioni, l'aria campestre pura, elevata sono ottimi ajuti a prevenire le recidive intonando il sistema; ed in generale può dirsi (quod potissime animadvertendum) che quanto più di questi tonici naturali potranno amministrarsi all'infermo, tanto

minorè sarà il bisogno dei farmaci, e tanto meno riuscirà nojosa la cura » (1).

De cura negativa in morbis acutis mentionem usque adhuc habuimus, sed alius existit morborum agmen in quo vita organica vel per fibrillarum primitivarum texturam funditus subversam, vel per abitudinis leges, nil ad aequilibrium restituendum praestat. Comperit quisque de illis me loqui quorum decursus cum diutinus sit, improprio chronicorum nomine nuncupantur. Quid in hisce morbis ideo aperandum (obtruditur mihi) nisi pharmaceuticis chirurgicisque auxiliis profligentur? Verissimum hoc est et in illis medicamina tentare quamplurima, licet etiam incerta, decet: desperatis enim in casibus, docente summo A. *Celso melius anceps remedium experiri quam nullum*. Verum ubi omnia vel irritum, vel cum manifesto detrimento fuerint experta, curnam dura cervice in iisdem instabimus, et aerumnis quibus vexantur aegri illas molestae medicinae addemus, neque potius eis Horatianum illud prae oculis ponemus

» Durum, sed levius fit patientia
» Quidquid corrigere est nefas!

nec medicaminum loco negativa medicina indulgebimus, quae apto vitae regimine damna, et

(1) Manierà atta ad impedire la recidiva delle febbri periodiche — Disert. pag. 61. Firenze 1808.

angores, quam possibile sit non raro temperabit? Haec medendi ratio in nostra Italia, et quidem apud Scholam Hetruscam diu floruit, cujus vexilla celeberrimi viri Redius Del-Papa Cocchi, et Pasta secuti sunt, quorum opera de Medicina negativa doctrinis plena sunt. Nuperrimorum ideo librorum novissimis de re medica cognitionibus scatentium studio commiscenda — Hinc autem sequentia cruimus; nullum adhibere medicamentum prodesse, irritum id faciens, dum sanatio sub datis dumtaxat circumstantiis etiam sua sponte succedit — Si ex morbi ejusdem sanatione alia pejora exoriuntur mala — In illis adfectionibus quae natura sua curam prorsus rejiciunt, et usque adhuc insanabiles dicuntur.

Neminem certe medicorum latet, humanum organismum pluribus morbis subjici inter se diversis juxta variam aetatem, vitae statum, tempestates, loca, nec non vivendi rationem, quae inter circumstantias et morbos illos talis intercedit vigetque nexus, ut nisi illae auferantur, morbus contra medicaminum vim persistat: illis sublatis et hic persaepe sua sponte evanescat. Nostrae opellae non est munus facti rationem explanare, satisque erit rem enuntiasse, atque exemplis breviter adductis comprobare, novam aetatem quibusdam morbis solam esse optimam medicinam. In pueris in quibus vegetatio praevalet utpote latice lymphatico abunde scatentibus obvium est lactumen advertere, scrophu-

lam. Rachitidem aliaque insuper incommoda uti diarrhoeam et dissenteriam ex dentitione. At de lactatione compertum jam est irritam, nec non interdum cum damno sanationem tentari, quodque vulgo creditur a clarissimis etiam Auctoribus experientia suffultus confirmatur. Cooke de lactumine ajebat » Le plus sur cependant est de ne rien faire, crainte que cette eruption venoant a rentrer, n'ont des suites funestes: car c'est une des voies critiques choisie par la nature pour se decharger, et c'est a elle seul a l'abandoner quand'il lui plait » (1). Quamobrem sanationem majori tenelli organismi evolutioni, incedenti scilicet aetati committemus, in qua organis reproductionis robustioribus factis limphae copia (perfectiori elaboratione) in corpore imminuta et crusta auferetur, quod etiam *Hoffman* sapienter monet » Tinea mitior, achores, et crusta lactea saepius ad sequentem prosperam faciunt valetudinem. Sola interdum aetatis mutatione domantur medicina irrita (2). Scrophula a tertio ad septimum annum in infantibus potissimo saevit: auxilia medica, et remedia fortiora nonnunquam requirit; sed in optima diaetae directione maximum semper levamen adipiscitur uti ratio scrophulae nosogeniae innixa, et auctorum quorundam au-

(1) Maladies des Enfans — pag. 64.
(2) Medic. Rat. Systemat. T. III. Sect. I. cap. 8. p. 181.

ctoritas comprobat, inter quos Bordeu palam fatetur » Ce qui se voit sur tout dans les enfans écrouelleux, et qui pourtant se remettent sans aucune sorte de remedes. Nous pourrions citer des observations des pareils malades, dont nous n'avons pas osé entreprendre le traitement, et qui ont repris par la suite des forces, et de l'embonpoint » (1). Morbosae adfectiones ob dentitionem difficilem ex eo produci videntur, quod dentium se se evolventium stimulus gingivas incitaos, et irritatio per textus continuitatem ad reliquas tubi gastro-enterici membranas propagata nec non ad nervosum systhema in illas et hoc abnormes suscitant reactiones unde morbosa illa phoenomena exurgunt. Proposuere nonnulli emollientia, et haec molliores atque distensibiles magis redebant gingivas atque dens facilius obvolvebatur, et procrastinata hoc pacto eruptione protrahebatur dolor. Alii contra frictionibus siccis rem expediendam tentarunt. Incassum: occalescunt gingivae, et itidem eruptio differtur. De aliis pariter adfectionibus dicas in quibus prudens medicus brevioris incommodi spectator necessitate coactus potius quam molestias inutilis molestiis addere miserum aegroti statum apto vitae regimine, tenui cibo ac suavi minime stimulanti, blanditiis jocosisque distractionibus usque

(1) Dissert. sur les tum Scrophul.

dum detur tempus temperari malet. Increscente aetate nova in propatulum veniunt mala quae ab alia aetate pariter dissipantur. Hoc millenis factis illustrari posset sed sufficiat observare primum in puellis mensium fluxum, quorum praesidio obstinatae adfectiones fugantur. Puellam ipse nosoo convulsione faciali nec non dexteri brachii olim turbatam quae ab eximio Borda remediis nervinis, floribus zinci puta et cinnamomo curabatur. Parum supervenerat levaminis et multum a lunarum fluxu insignis ille Clinicus sperandum fore asseverabat. Accessere menses, convulsio incoepit silere et pedetentim gradatimque quotidie ullo absque remedio evanuit. Quidnam hoc in casu lucratum esset si obstinate sanationem jamdudum conati essemus? Organica forsan compages remediis labefactata mensium evolutionem, et eapropter sanationem diutius retardasset. Id quod de his, de aliis quidem vitae periodis dicere licet, ut sana observatio compertum fecit, et passim in therapeuticae tractatibus animadvertitur. — Sed praeter aetatem aliae adsunt conditiones, scilicet vitae status, uti supra monitum est, tempestates, atque loca, quibus major quam medicaminibus quandoque ratio est habenda. Enim vero hominum quivis suo vitae statu adstringitur atque diverso vitae generi, ideoque vario organorum exercitio vitalis processus adeo modificatur, ut diversis quoque morbis disponatur, iisque ob causam quamcumque procatarticam acquisitis difficillima per pharmacorum usum in

pristinam valetudinem restitui possit: dum si vitae priori contrarium est, mutata quidem processus organico-vitalis conditione, salutem nullo pharmacorum opitulante facili negotio recipiet. De hoc locutentissimum litteratorum, caelibum, et artificum morbi exhibent exemplum — Animalia itidem aeconomia Cosmicis influxubus proeul dubio subjecta novas in se ipsam juxta varias tempestates, mutationes experitur, novosque in morbos sub annua constitutione impellitur. Sic ex. g. veris tempore pellagra moleste atque perniciose debachatur, silet hoc malo neque remedis pharmaceuticis, sed diaeta praesertim lactea cibis eupeptis, et atmosphaericarum injuriarum fuga: est ideo solum vel praecavenda vel moderanda. Febres intermittentes incassum aliquando fortioribus tentantur remedis dum sua sponte hieme disparent — Quas si aliquot in locis endemicas creberrimeque grassantes intuearis, dum alibi rarissime occurrunt loci mutationem utilitatem majorem intuearis, dum alibi rarissime occurrunt, loci mutationem majorem utilitatem afferre concipies, quam remedia, quibus vel renitebat morbus, vel etiam devictus in crebras recidivas ruebat.

Verum neque semper incassum, sed cum manifesto gravique detrimento interdum morborum sanatio intempestive tentatur. Sic fluxus varii, haemorroidales praeprimis, et haemorragiae, sic medorrhea, ottirhea, sic cacodermata quaedam, et ulcera senum chronica quibus organicum

processum vel sanguinis plethoram imminuere, vel virium exhuberantiam deprimere, vel morbosa producta eliminare vel pravas discrasias corrigere medicos contendit. Experientia autem docuit, morbis hisce fugatis, novas adfectiones, saevioresque nobilioribus in organis non absque periculo exoriri. Quorum ipsorum morborum sanatio, si tentari attamen velit, in immutando processu organico per novam vivendi rationem priusquam ad remedia, pharmaceutica deveniatur bonam sistere medicinam etiam hodierni perhibent Auctores, uti ex his comperi potest ubi ex. gr. de hemorroidibus agatur. « Le premier, et le plus puissant moyen de guerison contre les hémorroides est un regime sévère » (1). De ottirhea profert illustris Monteggia. « Un consiglio che non si potrebbe troppo raccomandare a chi è affetto da ottirea, e che vuol guarirne si è quello di vivere più sobriamente che sia possibile » (2). Idipsum autem quum a summis practicis passim testetur in hoc commorari operis pretium non esset; nequo tantum brevibus pagellis argumentum quod optimo eximii Auctoris tractatui (3) affluentem undique materiem afferre potuit, obumbrare valerem.

(1) Diction. Abreg. des Scien. Medic. T. VIII. p. 602.
(2) Istituz. Chirurg — mali degli Orecchi.
(3) Traité des maladies qu'il est dangereux de guerir ec. P. M. Raymond cum epigrafe: *egrescitque medendo.* Avignone 1757.

Alia morborum cohors mortalium aedes pulsat qui quam saepissime omnia pharmaca respuunt, et a prudenti Medico solo diaetetico regimine sunt moderandi. De illis loquor qui cum nondum ex ulla medendi ratione eradicari potuerint *Incurabilium* nomina insigniti fuere. Inter hos podagram ex. gr. respicies. Hic morbus, Jatrices vituperium, neque apud Graecos medicos remedium, nec apud Romanos invenire potuit, utut immensa, siquidem refert Lucanus medicaminum farago ad illum devincendum in castris descenderet, quin immo de illo canebat Ovidius.

» Tollere nodosam nescit Medicina podagram. » Apud Neotericos quidem de Podagrae natura diu decertatum est, et lis adhuc sub judice est, et interim nec ratio proposuit, nec casus verum antipodagricum detexit; sola experientia aptiorem in regimine diaethetico cibis parvis eupeptis parato; moderato corporis motu, animi hilaritate medicinam reperiri jamdudum demonstravit. Ad hanc morborum familiam haereditarii etiam pertinent; ibidem labes profundae organicae, ibi truculentus schirrus atque cancer qui nisi a Chirurgica manu avveruncentur pharmaceuticis subsidiis irritum aggrediuntur, docente enim divo Seue Coo « non curati longius perdurant tempus. » Quidquod fusiori sermone explanabat *Triller* schirri nimirum emollientibus remediis, resolventibus, et discutientibus nimium tractati, atque vexati, nec mitescunt;

nec loco semel occupato cedunt: sed medelis admotis acriua exasperati, quasi vitiosi parentes, plerumque daturi sunt progeniem longe vitiosiorem diros nempe cancros et truculenta carcinomata, nulla plane humana ope et solertia subigenda aut extirpanda.... Hinc et hic, omnium sentientium medicorum unanimi suffragio *nulla medicina optima esse solet* (1). Reliquum ne unquam Medici mentem fugiat illud Bordeu pretiosum monitum; in morbis scilicet incurabilibus dictis illos distinguere opportere qui per therapiae cujusvis usum nonnisi in pejus ruere solent, quique sibimetipsis relicti mortem aegris per se nusquam afferunt, ab iis qui natura sua aegrum quam citissime ad orcum trahere possunt. Primi dumtaxat negativis remediis, alii semper actuosissimis etiamsi ancipitis naturae sint semper tractandi.

Hisce itaque breviter, ut potui exarata, me id comprobatum habere spero, quod nostra aetate non dicam oblitum, sed ferme rejectum intelligo; negativam nempe medicinam tum in morbis non bene evolutis, cum in morbi acutis, cum denique in chronice decurrentibus quandoque solam prodesse. Quando autem eadem indulgere, et quando econtra obnixe manibus pedibusque omnes cognitas pharmacorum vires morbi violentiae op-

(1) Dispat. Medic. T. VII. pag. 33. §. 18.

ponere debeat medicus profundum duntaxat studium docebit, nam hic opus hic labor, hic docti ab ignorantibus medicis distinguuntur. Interea non parum ex mea Dissertatiuncula emolumenti me empaisse ducam si condiscipulorum quispiam per illam sibi persoaserit casus non infrequentes in praxi medica occurrere in quibus diaeteticum regimen omnibus praetermissis medicaminibus, solum ad rem bene conducit, neque illorum verbis obtemperavit qui Veterum expectationem Ignorantiae circa morborum naturam tribuentes, illam quamcumque sub conditione despicantur, affirmantque Negativa medicina uti idem esse ac scientiae progressus intercipere, immo in eadem recedere. Morborum enim quamplurium natura hodie ut jamdudum delitescit: dum aliunde naturae vires (processus idest organico vitalis) medicatrices eo sub adspectu consideratae quo primitivas fibrae organicae moleculas ad pristinum statum atque proportionem restituere nititur in Chirurgicis etiam rebus ulcerum puta atque anus artificialis spontanea sanatione (1) in nova cavitatum articula-

(1) Illustris Monteggia hac in re verba idipsum testentur » Restando le due porzioni di tubo (intestinale) al di dentro infiammate ed aderenti è meglio lasciarle, abbandonanda il risarcimento di tanto guasto alla natura, la quale in questo genere si è mostrata si prodigiosamente efficace, che la sana chirurgia dee guardarsi dal disturbarla col voler troppo operare in casi, che più facilmente sarebber guar-

rum formatione aliisque quotidie observatur. Res ipsa itaque oculis persaepe patet, ac de illa vereri, obstinati foret Pyronismi. Nil autem vetat quominus illa quae in exterioribus organismi partibus accidunt, in internis quoque ab iisdem organisationis et vitae legibus directis evenire posse existimemus. Concessa vero naturae aequilibrium in animali oeconomia reducendi facultate Negativae etiam medicinae nonnullis casibus convenientia, et necessitas elucescunt. Illos itaque ex condiscipulis qui in rebus medicis fusius erunt versati, quique in Neotericorum theoriis pervolvendis, aureisque cognitionibus passim et tanta copia cum maximo saeculi hujus honore diffusis hauriendis omnem operam impendunt, illos, inquam, monitum a summo Baglivio quidem relatum nusquam animo fugiat. « Parcat ignarum vulgus, parcant et Medici tantis remediorum formulis; nam saepissimo quies lecti, et quies a negotiis, ipsaque demum a remediis abstinentia morbum jugulat, quem usus illorum remediorum frustraneus magis exacerbaret » (1). Caveant vero ne ab ignorantia, vel trepidatione hujusmodi medendi methodus dependeat; sed cura negativa ab eadem ratione et aeque propriis indicationibus

xiu da loro medesimi » — Delle Ernie — Cap. X. §. 102. T. 1. pag. 73.

(1) Praxeos Medic. Lib. II. Cap. XI. §. X. pag. 286.

dirigatur ac quaecumque validioris remedii administratio. Hoc pacto *multa qui sciat*, etiamsi *pauca agat*, iis tamen contra morbum apte directis, optatam metam quantum fieri potest ocyus serius continget.

FINIS.

THESES

I.

Therapeuticus electricitatis usus exeunte saeculo XVIII. magnis celebratus laudibus, haud merito nostra aetate contemnitur.

II.

Auribus capti caecis ipsis, quoad moralem conditionem, longe aerumnosiores.

III.

Mirificae nepenthes homerici virtutes opio tribuendae.

IV.

Diathesica morborum divisio, uti a dynamica theoria deprompta, haud sane admittenda.

V.

Corpori humano specifica inest ubivis locorum ipsa temperies.